

CAPUT III.

De Urbis ingressu Imperatoris.

Postera die Cæsar per portam, quæ est sub arce S. Angeli, hoc ordine quasi triumphans ingreditur. Primo die equites vexilla duo Cæsarum portant, alterum S. Georgii, quod ad Suevorum pertinet custodiam, Aquilæ alterum. Hos sequuntur Cæsarum cohortes armatæ, tum nobiles proceres & togati eius: inde Oratores Regum & Principum, qui adsunt. Tum si quis adest Rex aut maximus Princeps, ut fuit cum Friderico Rex Ungariæ & Bohemiæ Ladislaus. Et tunc sequitur Præfectus urbis, & Senator. Et ad Præfectum quidem pertinebat nudum enssem ante Cæsarem ferre: Friderico tamen Marscallus suus, non Præfectus, gladium prætulit. Inter istos autem & Cæsarem nemo equitare debet, nisi Marscallus, si Præfectus non præfert enssem. Incedit deinde Cæsar solus equitans, & post eum Prælati, Consilarii, proceres incrimnes, & alii togati sui. Deinde modico intervallo Imperatricis familia, si uxor virum sequitur, succedere debet. Ante illam nobiles & prælati: & post matronæ, virgines & pedisequæ: circa eam verò solam equitantem pedites multi. Ultimò incedunt Ecclesiasticæ copiæ pompam claudentes. Portam ipsam qua sub arce ingrediuntur, nostri Codices falso Collinam appellant. Collina autem porta non est in novis Leonis Pape suburbis, sed in antiqua Roma, Quirinalis primum dicta, deinde Collina (ut scripsit Vareo) à pluribus montibus qui in Quirinali monte continebantur: hodie Salaria nuncupatur, quia inde via salaria itur. In porta igitur quæ sub arce est, non Collina, clerus urbis sacris vestibus ornatus, cum crucibus & Sanctorum reliquiis, præsidente Vicario urbis & aliis Ecclesiarum prælati infulatis Cæsarem expectant, adventi crucibus osculandas offerunt, & eum incensant, ac cantantes, *Ecce mitto Angelum meum &c.* procedunt usque ad gradus Basilicæ principis Apostolorum. Principes autem digniores baldachinum supra Cæsaris caput portant, Conservatores freno equum ducunt. Cum verò est in magna area ante gradus, Præfectus & Senator id gerunt: & descendente ex equo Cæsare Præfectus stapham tenet, deinde ante eum præcedit. Inter equitandum autem Cæsaris Camerarius pecuniam spargere consuevit. In plano supra gradus Basilicæ ante primum porricum ad dextram ascendentibus erigitur suggestus ornatus cum throno Pontificali, & sedibus Cardinalium Prælatorum, & aliorum officialium: supra quem suggestum Pontifex pluviali & mitra preciosis indutus ascendit cum ordinibus curiæ paulo antea quàm Cæsar appareat. Electus Imperator cum suis omnibus servato ordine, ut equum descendit per gradus ascendit suggestum. Et ut primum Pontificem videt, detecto capite illum genu terram tangens veneratur: & iterum cum appropinquat ad gradus sedis, genu flectit: demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentia salvatoris devotè osculatur. Pontifex hilari vultu Cæsarem aspiciens ad osculum manus & oris recipit. Tum Cæsar iterum genu flexus auri massam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore suscepto, prout ei videbitur. Pontifex benignè respondens illum sublevat, & summæ caritatis declaratione amplectitur. Et itante ibi ad de-

xtram